Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26055
Copyright: Admont, Benediktinerstift

in secula seculorum laudabunt te. Seruus dicit uadam ad portas inferi.
mercennarius non uidebo dominum deum in terra uiuentium. filius. psalmos nostros
cantabimus cunctis diebus uite nostre in domo domini. Cui simile est illud. Aperite mihi
portas iusticie. et ingressus in eas confitebor domino. Et qui timet ire
ad portas inferi. et qui deum cupit uidere propter quietem sui. uterque profecto
querit que sua sunt. porro qui psalmos cantare desiderat in domo domini.
non sua uel pericula fugit uel lucra appetit. sed illum procul dubio diligit. quem
laudare gestit cunctis diebus uite sue. Laudatur non inmerito meritum.
qui uiuit et regnat in secula seculorum amen. R. De uariis nominibus christi.

Et vocabitur nomen eius admirabilis. consiliarius. deus. fortis. pater
futuri seculi princeps pacis. Admirabilis est in natiuitate. consilia-
rius in predicatione. deus in operatione. fortis in passione. pater
futuri seculi in resurrectione. princeps pacis in perpetua beatitudine.
Hec etiam nomina possunt ei congrue assignari in opere nostre salutis. Nam
primo dicitur admirabilis in conuersione nostre uoluntatis. que mutatio
est solius dextere excelsi. postmodum dicitur consiliarius in reuelatione sue
uoluntatis. quando reuelat quid sequendum sit conuerso. Unde Paulus
conuersus dicebat. Domine quid me uis facere. Conuersis autem necesse est ut
conpungantur pro preteritis delictis. in quorum remissione dicitur deus. cuius
tantum est peccata remittere. Hinc est quod saluatorem nostrum in terra remittentem
peccata, iudei dicunt eum blasphemare. quasi qui assumeret sibi quod erat
solius dei. Quarto dicitur fortis. Iuxta sententiam enim apostoli necesse est. ut
omnes qui pie uolunt uiuere in christo ihesu persecutionem patiantur. Sed quis
sustineret nisi ille iuuaret. Unde dauid. Nisi quia dominus adiuuit me. paulo-
minus habitauit in inferno anima mea. Cum ergo nos in tribulatione prote-
git. cum ipsas aereas potestates arcet a nobis ac repellit. quid aliud in
hoc opere dici potest nisi fortis. Unde dictum est. Dominus fortis et potens dominus potens
in prelio. Et quoniam ipsa conuersio et uita nostra in christo agenda est. non intuitu
temporalium rerum. sed spe futurorum bonorum. ideo quinto loco ponitur pater
futuri seculi. pater scilicet in regeneratione corporum. Quia uero omnes quidem
resurgemus. sed non omnes inmutabimur. ut decernat inmutationem iustorum.
ab iniquorum resurrectione. ponitur vi. loco princeps pacis. Qua obtenta
tota perfectio completur. nec iam ultra aliud quicquam appetendum